



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exemplorum Libri Tres

Liber Secundus, Siue Exempla, In Septem Capitalium Vitiarum
Detestationem, Per Quadragesimam, Anno M. DC. XLVI. narrata

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 9. Ira Dei in detentione nauis, & impuræ submersione ostensa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48186](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48186)

nullis tormentis aut pollicitationibus à Christiana religione ac puritate corporis diuerſi potuit, maluerit, iuſſu Flaeci comitis, in latrinam detrudi, & ibidem mori, quàm libidine contaminari. Nulla ſcilicet corporis labes nocere poteſt, ſi anima ſe inquinari non patiatur: quemadmodum nihil iuuant corporis atque veſtium munitiæ, ubi pectus plenum eſt ſordibus pudendis & erubeſcendis, vultusque ipſe Vitelliana cicatrice ſtigmofus.

PARS SECVNDA.

IX.
IRA DEI IN
DETENTIO-
NE NAVIS, ET
IMPVRÆ SVB-
MERSIONE
OSTENSA.

Jerem. 3. 3.

Rom. 8. 13.

Io. Moſchus
in Prat. ſpi-
rit. cap. 36.

ED quia nonnulli adeò ſunt dura & perfrictæ frontis, vt neſciant ampliùs erubeſcere, ad aliud nobis remedium, eſt veniendum. Licet, tota ciuitate differantur, licet publicis vocibus meretrices nominentur; licet illis in faciem dicas, nomen illarum eſſe cum pudicitia proſtiturum; licet inculces, ipſas, domum, cognatos, totam familiam dedecore affici; adhuc rident, adhuc de fenestra annuunt, adhuc velut aues illices cantu vocant pelliciuntque tranſeuntes, & tantum non hederam aut myrthum præ foribus appendunt, vt ibi Bacchi & Veneris Nymphas ac miniſtras conſtet habitare; licet vaticineris, à prouincia relegandas; licet mineris carceres & carnifices; licet dicas virgis per forum, agendas, capite plectendas, nihil his omnibus mouentur; idcirco meritò audiunt: *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.* Vbi ergo verba nihil efficiunt, ad verbera eſt procedendum. Apud ſeruiles animos plus poteſt corporis dolor, quàm animi pudor: perfricuerunt faciem, frons illis ænea eſt; cutis tenella; ictus ſolos ſentiunt, dedecus contemnunt; ſicut nec hili faciunt, quidquid viderint, à ſaliua, quam ſemel imbiberunt, diſcrepare. Si quos itaque honeſtatis omnis oblitos, non commouet ſupra dictæ puellæ parentumque, & cognatorum eius, omniumque Iudæorum, tam luculenta infamia, clades, calamitas; nõrunt grauiora ſibi à Deo, quàm ab hominibus impendere: nõrunt Apoſtoli comminationem: *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini:* nec morte tantum animæ, ſed non raro etiam morte improuiſa. Huius rei exemplum breue, ſed illuſtre refert Ioan. Moſchus, aliàs Euiratus, cuius liber eſt tantæ authoritatis, vt in ipſa quoque ſeptima ſynodo citetur. Vt enim appareat, quanta ſit grauitas huius criminis, Palladium adducit

adducit

adducit

adducit testem, qui à nauarcho ipso, cui id contigit, rem audiuit narrari. Is cum alijs Constantinopolim, alijs Alexandriam, alijs aliò nauigantibus, & ipse è portu soluit. Par conditio erat omniù, par tempestas, pares venti: sed nauigatio impar. Nam vbi omnes in altum iam promòrant, alijs prosperè euntibus, solus repentè, in medio mari, coactus est subsistere. Remoram piscem aiunt alioqui vim eam habere, vt nauem sistat, cui sese applicat. Sed nullus ibi piscis, nulla arena, breuia nulla, nullæ sidebant anchoræ, & tamen nauis immota stabat. Nihil venti in vela incidentes, nihil remi pellentes, nihil, qui ad clauum sedebat, vel arte, vel labore efficere potuerunt. Stetit nauis tanquam rupes. Neque verò vnus horè duntaxat id spacium fuit; totos quindecim dies ea nauis pertinacia durauit. Semper eodem loco hærebat, quasi clavis affixa, aut centum anchoris astricta. Versabantur omnes, in magno metu, mœstitia, & desperatione, inde potissimum anxij, quòd causam non perspicerent, qua progressus nauis in liquido impediretur elemento. Quando S. Carbonij corpus, ex Helba insula, Populonium est, per mare, transuectum, immensa pluuia, toto itinere, circa vtraque nauis latera, procelloso turbine, deiecta est, neque vnica quidem gutta in nauim illapsa. Nauis oneraria maxima, ingentes columnas vectura, è littore Troadis in mare traducenda erat, nec tamen à magna hominum multitudine, iniectis funibus trahi poterat, idque per dies complures, vt aded à cacodæmone detineri putaretur. Rogatus est Siluanus Troadis Episcopus, vt ad littus egrederetur, & precibus ad Deum fuis nauem promoveret. Orauit, funem leui manu apprehendit, & nauis illico secuta est ductum trahentis. Sæpe igitur vel ab Orco cursus nauium interpellatur, vel à Cælo incitatur. Quare & ille nauclerus ope humana destitutus, ad diuina se contulit auxilia; compluresque dies Deum ardentibus votis rogauit, vt in tanto rerum discrimine versantibus ne deesset. Quod & illos nautas fecisse legimus, qui Ionam vexerunt, quando *Dominus misit ventum magnum in mare; & facta est tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri.* Quemadmodum autem tunc Propheta dixit: *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis;* ita ad nauarchum hunc orantem vox de cælo accidit, quæ diceret: *Mitte foras Mariam, & bene nauigabis.*

S. Gregor. l. 6.
dial. c. 11. Sur.
10. Octob.
Socrat. lib. 7.
cap. 36. Ba-
ron. An. 434

Ion. I. 4.

Cogitanti, quid hoc sibi vellet, & quænam Maria esset in mare præcipitanda, altera mox & repetita sententia est in aures ingesta: *Dixi tibi, Mitte foras Mariam, & salui eritis.* Exclamat gubernator illico: *Maria, ô Maria!* nesciebat enim, quæ, aut ubi illa esset Maria. Iacebat quædam obscuri nominis femina in angulo extremo navis, Maria dicta, quæ se citari existimans, *Quid fieri vellet Dominus navis,* interrogavit? Iussit eam nauclerus ad se venire, ac, remotis arbitris, ita compellavit: *Vides, Maria, me peccatorem? non est numerus scelerum meorum; non potest ea pati Deus: eorum gravitas tanta est, ut navim non sinat progredi. Nimirum ego sum onus illud propter cuius flagitia vos omnes estis perituri.* Dixit hæc, cum tanto animi sensu, ut exemplo ista mulier in se descendens, altum ingemisceret, diceretque: *O mi nauarche, tace de tuis, ego, ego verè sum peccatrix.* Tum nauarchus, *Quæ,* inquit, *putas peccata esse, quibus Dei in te iram concitavisti? Va mihi,* ait mulier, *non est ullum genus peccati, quo non sim inquinata. Meo merito, meâ culpâ, in hoc periculum venisti. Vna perpetravi, quod omnes luitis. Et, ne me ficto hac animo loqui existimetis: Maritum ego habui, ex quo duos filios peperì, quorum, cum unus ad nonem, alter ad quinque annos ætatis venisset, coniunx mortuus est. Ego vidua, cum sine viro esse non vellem, in vicinum mihi militem oculos conieci; is me ita totam cepit, ut eum non ambita omnibus modis ambirem, intuitu, nutu, salutatione, & quia infamiam metuens, eius non ausa sum domum intrare; tandem, amoris impatiens, ad eum meos familiares mittere statui, nuptiasq; eius flagitavi. Negant subinde, ob iustas causas puellæ, se in coniugium alterius consensuras: sed profectò sapius iuvenes ac viri cordati, quando animadvertunt, non se, sed suas opes peti; aut vident, se mirabiles cum vxore, ducturos appendices. Quod etiam miles iste vidit. Nam etsi mali de vidua nihil audiuit, etsi rogari, quàm rogare maluit, viris tamen ad se legatis, rotundis verbis negavit, se vxorem ducturum, quæ ex altero viro filios suscepisset; hæreditatem diuidi, minui amorem, causam dari innumeris litibus, denique vitricum se, non parentem nominatum iri. Ita nimirum, ut dixit S. Cyprianus, *offert demon oculis formas illices & faciles voluptatis, ut visu destruat castitatem.* Quippe vidua hæc militem nimis sicientibus oculis contemplata, primò calere, mox ardere cœpit; postquam autem eius potiundi sibi*

S. Cyprian.
de zelo & in-
vidua.

sibi spem incidi audiuit, etiam, præ amore insanijt. Quæ enim infania maior esse posset? non dormire, non quiescere quiuit; nec cibus illi, nec potus sapuit; omnia in tædium mutata sunt; denique, consueto mulierum more, & contagio iam ab Eua tracto, quæ vitium magis amavit: utque desiderata, dum negantur, commendantur; ita illa non destitit, per vim, per dolum militem sibi adipisci. Quam in rem varia excogitavit, quibus sibi sponsum faceret; adiit vicinas, quæsiuit philtrea, paravit veneficia; sed brevissimum illi rei conficiendæ compendium dictavit: cacodæmon, quo suggerente, ex vidua facta est Medea; nam extincto omni amore naturali, duos, sibi ante hac charissimos filios, spem nominis, solamen domus, occidit, ne Iasone suo carere cogeretur. Ita Veneris amor, maternum amorem strangulat; & quiduis audeat, ut vel per philtrea, vel per venena, vel per quæcunque flagitia, desiderijs suis potiatur. Non est dubium, commota esse viscera materna, quando vidit primogenitum, novem annorum puerulum, grassante pharmaco, expallescens, & inter maximos cruciatus, cum morte luctantem, sed furor nescit frænari; & vim naturæ infert. Quare & alterum quinquennem interemit, duo funera intueri tolerabilius rata, quàm spe carere nuptiarum. O cæcus amor! ô mulier quid non facis, dum furis? Et tu, ô iudex Mundi, qui hæc de cælo aspicias, cur parcis? Non parcis, sed differs, ut patientiæ tuæ virtutem, & iræ simul ostendas æquitatem, dum tempus expectas magis opportunum, demonstrasque humani consilij vanitatem, quod se sæpe privat maximo bono, illud, quod sperat, non consecuturum; ut utroque careat. Hæc igitur vidua occiso utroque filio, ac sepulto, quasi obice remoto, bona iam spe, militem foras prodeuntem observavit, atque in via ultro interceptum allocuta est, in hæc verba: *Scis te, à me amari, eaq; propter nuptias tuas expey. Et ut agnoscas te amari vehementer, ecce filios meos, quos solos intellexi matrimonio nostro obstat, ex oculis removi. Nec illibenter, ut nôris, illis me privani, quia ex te alios spero; quem, ut iterum nôris, quanti faciam, ecce, ut unum haberem, duos interemi: da te igitur mihi, cui te vides sanguine meo esse chariorem.* Quàm noxia sunt consilia furiosorum? quæ ista ad matrimonium adiumento fore speravit, ea maximè obstiterunt. Miles enim, ut cognovit, eam tam crudele facinus admisisse, iam multò

magis Furiam videns auersabatur, & cum iuramento protestatus est, se nunquam in coniugium illius consensurum, apud quam illi semper in simili periculo ac metu esset viuendum. Nam censuit, eam non aliã in maritum fore, quã in proprios liberos extitisset: quouis verbo, quouis acerbiore aspectu occasionem latrocinij accepturam. Repudiata igitur, ne scelere patefacto, magistratui ac publicæ iustitiæ obijceretur, fugit. Sed Dei manum quis effugiet? *En adsum* igitur, aiebat ad nauarchum, *age mecum, quod lubet; merui dudum perita, omnibus modis perire.* His auditis gubernator, vix æquè moderatus ac prudens, ne quid præcipitanter ageret, nondum voluit eam in fluctus spargere; sed certius, vtra pars rea esset, exploraturus dixit: *Ecce ego in scapham descendam, si, me absente, nauis progredi cæperit, manifestum erit, meis illam fuisse peccatis attentam.* Dixit, in scapham se demisit, nihil promouit. Fixissima & nauis & scapha hæsit, eodem loco, eodem pondere ligata. Regressus ergo in nauim, ad mulierem conuersus ait: *Nunc & tu in cymbam egredere.* Vix in eam mulier demissa est, cum statim scapha tanquam vertiginè passa, se quinquies in gyrum circumuertens, velut tanti oneris impatiens, sponte subsidit, & cum muliere videri desijt. Nauis autem, illico *tanta velocitate cucurrit, vt tribus diebus ac dimidio,* nauigatio fuerit peracta, quæ quindecim diebus alioqui indiguisset, Deo moras compensante.

X. Quid miramur in femina, quod regi, quod toti olim genti & exercitui contigit? quando, ô Deus, *flauit spiritus tuus, & operuit eos mare: submersi sunt, quasi plumbum in aquis vehementibus?* Nimirum hoc est, quod Zacharias vidit; *hac est amphora egrediens. Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier una sedens in medio amphora.* Caro nimirum est amphora, in qua anima sedem suam habet, quæ impudiciã, & impietate, velut *talento plumbi, deprimitur, corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Vbi mihi discrimen vide: multi corporis castitate vsque in cælum leuantur; alios impuritas mergit in profundum inferni. S. Maximiano Præsule Syracusano Constantinopoli Romam nauigante, in Adriatico mari, exorta est atrox tempesta, in qua disruptis velis, malus fractus, & nauis ipsa vndiq; *foedum in modum lacerata, plurimis foraminibus inimicam aquam admisit,*

PECCATI PONDUS, DIVINIS POENIS INDICATUM.

Exod. 15. 10. Zachar. 5. 6.

Sapi. 9. 15.

S. Gregor. M. l. 3. dial. c. 30.